

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus XIX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A seculi, sed magnificè, imò amplissimè, deinde & in sempiternum suis benefacere solet, ipse magnificētissimus, & sibi ipsi in æternum simillimus.

Habet etiam hic uersus in ipsa medulla occlusum regni Christi mysterium. Primum in uocib. regis ac Christi Dei, quæ propriè Christo filio Dei competunt. Deinde in magnificentia Dei erga regem & Christum suum. Ea siquidem quæ Dauidi cōtigit, umbratilis quædam fuit, respectu eius quæ in Christo est declarata: in quo uerè magnificè egit Deus, non modò ipsum è manibus inimi corum, & ipsa morte, sed & totum genus humanum ex potestate inferorum liberando, & in regnū suum tam gentes quàm Iudæos uocando & assumendo.

Tertio in æternitate quoq; bonitatis erga semen Christi. De hoc semine Christi, quòd sunt fideles, uide Esa. 53. Videbit, inquit, semen longæuum. Et Ioan. 12. Si granum frumenti mortuū fuerit, multum fructum adfert. Et Ebr. 2. Ecce ego & pueri mei, &c.

PSALMVS XIX.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO

huius psalmi.

Ardenti zelo in ea rapitur spiritus propheta de prædicanda & celebranda, quæ gloriam diuinæ maiestatis cum primis commendant & extollunt, adeoq; nos in cognitionem illius inducunt. Horum autem duo genera recenset. Vnum eorum, quæ gloriam Dei oculis spectandam mortalibus uniuersis exponunt: de quibus canit uersibus sex prioribus. Alterum de eo, quod Iudæis singulariter præ reliquis nationibus diuinitus est concessum: cuius meminit uersibus 7. 8. 9. 10. & 11. Tertia psalmi parte peccatorum suorum confessionem, ac remissionis illorum petitionem adiicit, & diuinam erga se beneuolentiam ambit.

VERSVS SEX PRIORES.

Ad præcinendum psalmus Dauidis.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat expansum.

Dies ad diem eructat uerbum, & nox ad noctem indicat scientiā.

Non est sermo, & non sunt uerba: nec auditur uox eorum.

In omnem terram egreditur sonus eorum, & in fines orbis uerba

eorum: soli posuit tabernaculum in eis. (dum uiuam.)

Et ipse tanquam sponsus procedens è thalamo suo, exultat ut gigas ad curren-

Ab extremo cœli egressus eius, & recursus eius usq; ad extremum illius: nec est qui se abscondat à calore eius.

Expansion. Ebr. *וְהָיָה כְּהָיָה*. quam dictionem communiter & Græci & uulg. Lat. sicut & Hieron. reddunt firmamentum. Significat autem extēsiōem. ad quem modum uerterunt Iustin. Munsterus, & Tigurina uersio. Felinus sic, Et æther quæ sint opera eius denunciat. Campensis uertit, uastum cœlorum ambitum.

Dies ad diem, & nox ad noctem. Ebr. *יָמִים לַיְלָה לַיְלָה לַיְלָה*. Græc. *ἡμέρας καὶ νύκτες, καὶ νύκτες καὶ νύκτες*. Vulg. *Dies diei, & nox nocti*. Sic ferè omnes Interpretes legunt, nisi quòd aliqui addunt de suo, *Dies diei succedens*.

Non est sermo, & non sunt uerba. Ebr. *אֵין אָמַר וְאֵין דְּבַר בְּלִי שְׂמִיעַ הָאֵלִים*. Græc. & uulg. Lat. sic reddiderunt: *Nō sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur uoces eorum*. Hier. sic: *Non est sermo, & nō sunt uerba, quibus nō audiat uox eorum*. Iustin. *Non sunt loquelæ, & non sunt uerba, non auditur uox eorum*. Felix Prat. *Non sunt loquelæ, neq; sermones, ut non audiat uox eorum*. Pagn. *Nō est sermo, & non sunt uerba, non auditur uox eorum*. Sic & Tigurina, & Felinus. Zuinglius sic: *Non est sermo aut lingua, ubi non audiat horum omnium uox*. Campensis similiter: *Nullum est, inquit, idioma, nec ulli sermones, quibus audita non sit uox illorum: nullus est enim usquam populus tam barbarus, ad quem horum noticia non peruenerit*.

In omnem terram egreditur sonus eorum. Ebr. *וְהָיָה כְּהָיָה*. Græc. & uulg. Lat. & Hier. reddiderunt, *Exiuit sonus eorum*: quam lectionem retinuit & Apostolus ad Rom. 10. Verum Ebræa dictio *וְהָיָה* regulam lineam directoriam, & funiculum significat. Vnde Iustin. sic uertit, *In omnem terram exiuit filium eorum*. Pratenfis, *Exiuit cursus eorum*. Pagn. *linea eorum*. Felin. *iudicium eorum*. Munsterus, *directio eorum*. Tigurina, *regula eorum*. Verum uisum est retinere lectionem uulgatam, propter auctoritatem Apostoli. Zuinglius & Campensis, orationem & doctrinam reddiderunt.

Soli posuit tabernaculum in eis. Ebr. *לְבַרְשָׁם אָחַל בָּהֶם*, quod & Hier. & Iustin. & Pagn. cum recentioribus reddunt, *Soli posuit tabernaculum, uel tentorium in eis*. Græc. & uulg. Latin. sicut & Arabes, uerterunt: *In sole posuit tabernaculum suum*. Reliqua non admodum uariant.

Cœli enarrant gloriam Dei. More carminis idem hoc uersu bis dicitur. Nihil est enim expansum illud aliud, quàm cœlum hoc uisibile: nec aliud enarrare, quàm annunciare. Itaque primo hoc uersu gloriam Dei per cœlos enarrari & annunciari, hoc est, ostentari, & omnium oculis ingeri dicit. Solet Scriptura gloriam Dei in cœlorum machina spectandam proponere.

Primum dum dicit Deū cēlos creasse & extendisse, opus adeo illustre, magnificū, & immēsum, ut psal. 8. 96. 136. Huius admonet etiā hoc uersu, dum expansum opus manuum Dei annunciare & ostendere dicit. Cogitemus hic, quā sit opus hoc cēli uastū, amplū, latissimē extensū, aspectu iucundū, ornatu speciosū, tempore diurnū, ac robore firmū. Licet nobis hæc omnia ad gloriā Dei expendere, etiam si occultiora cēlorū miracula ignoremus. Deinde dum dicit, Deum cēlos condidisse solum. Hoc prædicat Iob cap. 9. & inter ea connumerat, quæ ad magnificentiam Dei faciunt. Tertio, quando de Deo prædicat, quod cēlos fecerit ex nihilo. Magnum est, egregij quicquā ex apta quāpiam materia facere. Quantum est uerō, ex nihilo tantam constituere machinam. Quarto, cum Deo tribuit, quod cēlos solo uerbo fecerit. Vt Genes. 1. ubi dixisse legitur: Fiat expansum, uel firmamentum. Et infra psal. 33. Verbo Domini cēli facti sunt. His quatuor modis Scriptura gloriā opificis cēlorum considerandam proponit, quod uidelicet ipse cēlos condiderit, quod solus condiderit, quod ex nihilo, & uerbo duntaxat condiderit.

Quod autem uocat expansum opus manuum Dei, cum tamen sit opus uerbi Dei, ad hoc facit, ut cēlos non aliena uel industria uel opera factos esse sciamus. Potest enim fieri, ut & fieri uideamus, ut imperantis cuiusdam uerba opus quoddam magnificum & eximium fiat: uerū non imperantis, sed aliorum operantium industria & opera. Hic uerō uirtus Dei inuisibilis & omnipotēs ita uerbo suo cēlos condidisse dicitur, ut prius aliena ad facturam illorum uel industria uel opera haudquaquam accesserit. Ob hanc causam tribuitur cēlis, quod sint opus manuum ac digitorum Dei. Alias siquidem potior gloriā redundaret in opifices, uel angelos, uel alias creaturas, quarum opera opus tam eximium & stupendum esset perfectum.

Vers. 2. *Dies ad diem eructat uerbum, &c.* Prædicat hoc 2. uersu admirabilem illam & constantem dierum ac noctium uicissitudinem, quæ certē ex ineffabili illo cēlorum & ornatus illius opificio prouenit. Quod itaque dicit, Dies ad diem eructat uerbum, & nox ad noctem indicat scientiam: nihil est aliud, meo iudicio, quā successione illa dierum & noctium tam certa, constanti & comodissima alternantium inter se uicissitudine ac reciprocatione manifestissimē opificis Dei gloriā celebrari, gloriā inquam omnipotentis & scientis Dei, ut hunc sensum exprimerem, reddere uisum est ad hunc modum: Dies ad diem eructat uerbum, & nox ad noctem indicat scientiam. Vt, si Germanicē dicas, ein tag nach dem andern, ein nacht nach der andern.

Quidam hunc uersum sic exponunt, ut diem ad diem, intelligant esse singulos dies: & noctem ad noctem, singulas noctes: sentiuntq; prophetam dicere, nullum esse diem, nullam noctem, quibus non aliqua re præcipue gloriā Dei illustretur, & scientia Dei augeatur. Verum est, si quis obseruet. Non est aliqua dies, aliqua nox, quibus non adferatur aliquid noui, unde gloriā Dei illustretur. Et ipsa quoq; quotidianæ renouationis facies gloriā Dei renouare uidetur.

Illud incertum esse apparet, de quo uerbo, & qua sciētia loquatur hic uersus. An de uerbo, Dei, quo conditi sunt cēli: & scientia Dei, qua sapientissimē conditi sunt: uel, an de uerbo cēlorū, aut dierum & noctium, & gloriā Dei prædicantium loquatur: ut sicut cēlis primo uersu enarrationem & annunciationem tribuit, ita hoc sequēti uersu tribuat illis uerbum, quod dierum ac noctium uicissitudine eructetur. Posterior hic sensus mihi uidetur esse simplicior: sic tamen, ut dictione scientiæ, quam indicari dicit, non eam qua nos Deum cognoscimus, sed qua Deus cēlos summa sapientia condidit ac disposuit, intelligamus.

Vers. 3. Non est sermo, & non sunt uerba: nec auditur uox eorum.)

4. *In omnem terrā egreditur sonus eorū, &c.* Auxesim gloriæ Dei in opificio cēlorū, & dispositione dierum ac noctium relucens, duob. hisce uersib. prædicat propheta ad hunc modū: Dico cēlos, dies ac noctes, enarrare ac prædicare gloriā Dei. Atqui nec uocē habent, nec uerba, quib. gloriā Dei deprecant, & opificem suū extollant. Verum est, inquit, non est illis sermo, nō sunt uerba, nec auditur uox eorū: & tamen, quāuis uoce ac uerbis destituantur, gloriā Dei adeo sonora uoce deprecant, ut sonus ac uerba prædicationis eorū, terrā uniuersam ad fines usq; totius orbis penetrent ac repleant: quod nulla alia re faciunt, quā excellentia opificij, quam cunctorū oculis passim per orbem uniuersum ingerunt. Est enim horum operum Dei tam admirabilis machina, tam constans uigor, tam certus ordo, tamq; ineffabilis intelligentia, ut licet muta sint, quod uocem attinet & uerba, nihilo tamen minus gloriā Dei, quāuis sonorissima etiam uoce, clarius sic deprecant, ut non sit angulus aliquis orbis, ubi uocalissima eorum concio non audiatur.

Vers. 5. & 6. *Soli posuit tabernaculum in eis. Et ipse tanquam sponsus procedens, &c.* Hisce uerbis propheta ad celebrandū illustriissimū illud solis opificiū digreditur, quo & cēlorū machina splendidissimē ornatur, & totus orbis illustratur. Loquitur autē de illo longē maiore animi iucunditate, quā nostri philophi, qui magna scientiæ opinione de solis magnitudine & altitudine disputant: quorū uanitas & relicta, certa quedam, & ad gloriā opificis Dei plurimum facientia, simulq; cunctis manifesta adducit. Primum comendat hoc opus Dei ab ornatu iucundissimi splendoris, præcipue quod ipsius ortum concernit, quod solet esse splendidissimus: quem comparat sponso, & thalamo suo in ornatu nuptiali progredienti, & omnium in se se oculos commouenti. Ad hunc solis ortū non modò David hoc loco, contemplandæ gloriæ Dei gratia nos rapit, sed & Christus ipse paternam nobis bonitatem in eo considerandam proponit, cum Matth. 5. dicit: Vt sitis filij patris uestri, qui solem suum producit super bonos & malos.

Deinde

A Deinde gloriam Dei in sole à uelocitate commendat, qua summo miraculo uastos illos cœlorum campos unius diei spacio percurrit: & quum id quotidie faciat, nihilo tamen lassatur. Et hoc nomine comparat eum heroi pedibus forti ac ueloci.

Tertio celebrat solem etiam à uirtute calefaciendi, quam à Deo effundat circumquaq; ut cuncta per illam foueantur: quæ sanè tanta est, ut & metalla in ipso telluris gremio concoquat. Atq; hoc est, quod dicit, Nec est, qui se abscondat à calore eius.

Sunt qui hos sex uersus per allegoriam exponant, sic, ut cœli significant Apostolos, per quos ueluti cœlos, gloria Dei enarretur, & in quibus sol Christus tabernaculum suum habeat, ex quo tanquam sponsus egressus, uerbi prædicatione in orbem uniuersum excurrat: ad quam expositionem uersu quarto moueri uidentur, quo Apostolus ad Romanos decimo utitur. Mihi uerò simplex illorum expositio, quam posui, certis de causis probatur. Prima causa in primo uersu est, cum dicit, Et opus manuum eius annunciat expansum: quibus uerbis satis indicat, de quibus cœlis loquatur. Est enim *חֲרִירָא* expansum, firmamentum illud, ut uocatur, quod oculis nostris quotidie uidemus, in quo sol, luna & stellæ relucet. Secundam habet uersus secundus, ubi dicit, Et nox ad noctem indicat scientiam: quod si uelis ad allegoriam rapere, non uideo quomodo per noctes intelligi possint Apostoli & electi, quos Apostolus dicit non esse noctis, sed diei. Hieronymus sic allegorizat hoc loco: Nox Iudas, nocti Iudæis, indicat scientiam, quando dixit: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Huc torquentur, qui omnia ad allegoriam trahenda esse putant. Tertia in eo est, quod uersu tertio legitur: Non est sermo, & non sunt uerba, nec auditur uox eorū. Vbi manifestè uidere licet, de illis gloriæ Dei præconibus canere Dauidē, quibus nec sermo est, neq; uox, neque uerba. Apostoli quidem & ipsi maiestatem gloriæ Dei annunciant, uerū non muto, sed uocali præconio.

Atq; hos uersus etiam Chrysostomus simpliciter hoc sensu quem assignauimus, accepit. Vide Sermone 3. super Epist. ad Rom. ibi, Inuisibilia ipsius ex creatione mundi. Item super Genesim hom. 5. Idem facit & Basilus, in principium Prouerbiū Salomonis scribens.

Quartum uersum usurpat Apostolus Rom. 10. ad hunc modum: Sed nunquid non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum uerba eorū. Ostendit incredulitatem Iudæorum haudquaquam excusari posse, quasi prædicationem Euangelij non audierint, cum prædicantium sonus & uerba in uniuersum orbem exierint: ut uerè de illis dici possit, quod Dauid de cœlis, die, nocte, ac sole cecinit: nempe, sonum ac uerba eorum ad fines orbis usque personuisse. Sic solent Apostoli locos Scripturæ ipsorū instituto conuenientes adducere, ut historię sensum nō infirmet: & tamen ostendant, nō minus uerè ab ipsis iam dici posse, quod tū secundū historię seriem de re alia dictū est. Tale est, quod 2. Cor. 8. ex cap. 16. Exodi, de collectione man adducit Apostolus: Qui multum, inquit, ei nihil redundabat: qui parum, ei nihil deerat: accomodās ea uerba ad institutum eleemosynæ, sicuti patet: & adhortans, ut quæ diuinitus alimentis gratia data sunt, sic inter se diuidant & cœquēt fideles, ut uerè possit in ipsis impleri quod tum temporis in deserto man colligentibus usuuenit. Consimile & illud est Matth. 2. Ex Aegypto uocaui filium meū: quod Osea propheta de Israele scripsit. Quapropter, meo iudicio, causam non habet ex Apostolo, qui uersus istos sic ad allegoriā trahūt, ut sensum Prophetæ prorsus negligāt.

Principio obseruandum est in hisce uersibus piorū ingenium, quā soleant illi magna cum uoluptate ac delectatione gloriam opificis Dei in operibus illius contemplari: id quod animum respicit glorię Dei studiosissimum, ac magnificē de Deo sentientē, ac per illustria illius opera ad maiestatem eius considerandam ac celebrandam sese erigentem. Hac in re multus est hic Propheta, id quod psalmis quibusdam uidere licet. Huius exemplum imitari debebant, qui usum imaginū ad hoc in Ecclesiis Christi induxerunt, ut aspectu suo aspectantes ad nescio quam deuotionem, ut loquuntur, permoueant. Si externæ mouent imagines, ut planè mouent, qui sit, quod cœlestes illæ gloriæ ac maiestatis Dei non admonent? Imago hominis, mortui opus est hominis, mortuū, mutum, surdum, cæcum, immobile & *ἀψυχον*: cœlum uerò, sol, luna, stellæ, & reliqua, opera sunt opificis Dei, uiua, & hoc ipso quod uiuunt, uiuentem & uiuificantem opificem suum celebrantia. Imagines opera cum sint hominum, nihil aliud, quantum sunt opera manuū hominū, quā gloriā hominis artificis: cœlum uerò, & reliqua opera Dei & præclara eximia, gloriam Dei omnipotentis extollunt. Et reuera maior est gloria Dei, quā quæ per opera manuū hominū dignis modis prædicari possit. Nec opus habet illis ad hoc Deus, ut ipsius apud nos gloria innotescat. Omnia suis ipsius operibus repleuit, magnis, stupendis, & innumerabilibus, quæ nusquam nō occurrunt, imò in quibus omnes mouemur & sumus. Atq; ita opera manuum Dei gloriam illius, nō in tēplis lapideis tantū, & alijs consimilib. latebris, sed per uniuersum orbē palām ac luculēter prædicant, omniūq; mortaliū oculis passim ingerunt & illustrant, quod de operibus hominum haud quaquā dici potest. Ingens itaq; stupiditas eorū sit oportet, qui conspectu operū Dei, ad considerandā diuinæ maiestatis omnipotentiā, sapientiā & prouidentiā non mouentur, & interea ad mortuas & mutas mortalium imagines quouis saxo stupidiore, religionis gratia procumbunt.

Deinde, cogitandum est, qua ratione Propheta non angelos, cœlestes spiritus, uel mare illud immensum, aut alia insignia opera Dei inducat, cum tamen & ipsa gloriā Dei enarrent, sed cœlos, uisibiles illos, deinde diem & noctem, ac solem: quæ tamen nec sola, nec omnē opificis Dei gloriā

OBSER.

deprædicant. Non caret hoc diligenti ratione. Ut aspectus cælorum, & solis, deinde & uicissitudo illa dierum ac noctium, per orbem uniuersum nemini non patent, ita & gloriam Dei passim omnibus consideranda proponunt. id quod non potest ab omnibus illius operibus præstari. Verum quia quæ & quotidiana sunt, & ubiuis locorum nemini non exposita, hoc ipso quod & quotidiana sunt, & passim obuia, uilescunt: ob id uisum est Spiritui sancto, pios & electos admonere, ut in illis potissimum gloriâ diuinæ maiestatis cōsideret ac deprædicet, in quibus illa uulgo uilescere cōsuevit.

Vers. 2.

Tertiò, *Dies ad diem eructat uerbum.* Quoniam hoc uersu Propheta uicissitudini dierum ac noctium adscribit, quod uerbum ac scientiâ Dei eructent & indicent: cogitandum erit pijs animis, quâta hic sapientia ac prouidentia Dei non in splendore duntaxat diurno, sed & in caligine nocturna re- luceat, in quâ prætereuntis diei splendor desinit, & quam rursus uicibus suis terminat. Splendor diurnæ lucis magno usui est operantibus: uerum nō minus utilis est caligo nocturna, diurni splendorē & molestiâ laborantiū interrumpens, & quietis cōmoditatē fessis mortaliū membris exhibēs.

Et hinc uertendus est animus ad metaphoricā considerationem, quam offert uicissitudo ista dierum ac noctium. Sicut dies in noctem, ac rursus nox in diem desinit, ita habent & humanarū rerum uices. Lætæ in tristes, tristes rursus in lætās mutantur. Vnde illud est, Post tenebras spero lucem. Vtrobique magnam occasionem consolationis accipiunt pii, quoties considerant, quā sapienter instituta sit ista reciprocatio dierum ac noctium, rerumque lætaram ac tristium. Inamœna quidem est noctis facies, præsertim ijs qui splendore diurno delectantur (nam sunt, qui noctis tenebras magis amant quā lucem diei, eo quod opera ipsorum opera sunt tenebrarum, & non lucis) uerum usus nocturnæ caliginis haud minus necessarius est laborantibus & iucundus, quā usus diei. Terra ipsa post solis ardorem refrigeratur & humectatur, animantia post diurnam fatigationem recreantur, uires corporum nostrorum beneficio somni reparantur, animus posita curarum molestia refocillatur: & ipse solis ac lucis usus, ne perpetuitate quadam molestus sit & intolerabilis, interstitio nocturno quotidie renouatur: & non tolerabilis modò, sed & iucundus redditur. Et illud quoque sapientiam Dei commendat, quod æstate dies sunt prolixæ, noctes breues, quo & fruges terræ maturescere queant: & quoniā mortalibus in cultu terræ æstate magis quā hyeme operandum est, ut diuturniore luce, operantibus necessaria, potiamur: rursus quoniā post ardorem præcedentis æstatis terra gelu & niuibz refrigeranda, & ad subsequenter æstatē præparanda est, commodum sic est diuino consilio constitutum, ut hyeme noctes sint longiores, dies breuiiores. Innumera sunt huiusmodi, quæ animus operum Dei studiosus considerare, illorumque consideratione in scientia Dei sese exercere & oblectare poterit.

Et illud considerandum est, quod uerbum & scientia coniunguntur hoc uersu. Verbum quid est aliud, quā expressio quædam rerum aliàs absconditarum & secretarum? Scientia, est perspicua rerum cognitio. Tolle uerbum, præsertim in rebus diuinam maiestatem, sapientiam ac bonitatem concernentibus, & unde dabitur scientia? Pulchrè igitur hoc uersu eructationē uerbi & scientiâ cōiunxit, dicens: Dies ad diem eructat uerbum, & nox ad noctem indicat scientiam. Vis uerbi est, ut indicet & manifestet. Ut hoc faciat, opus est ut eructetur. Verbum eructatū indicio suo generat scientiam. Est enim instar lucis. Qui scientiam Dei extinctam cupiunt in terris, eructationē uerbi Dei uel opprimūt, uel obscurāt, uel inuertūt. Malunt enim regnare in tenebris ignorantiz, quā in luce scientiæ Dei cū reliquis fidelibus diuinæ maiestatis adorare sapientiā ac bonitatē.

Vers. 3.

Tanta est opificis nostri maiestas, ut hæc etiam silentia prædicent.

Quartò, *Non est sermo, & non sunt uerba, &c.* Nequeo hic non deplorare humani generis corruptionem. Quæ nec sermonem, nec uerba habent, & quorum non auditur uox, uerbum eructant ad prædicandam opificis gloriam & maiestatem: & homo, cui datum est non solum esse opus Dei, sed & uerbis intelligibilibz animi sui cognitiones eructare & declarare, prorsus mutus est erga gloriâ Dei creatoris sui deprædicandâ: aliàs ad quæuis uania, imò nefanda, & gloriâ Dei obscurantia, loquacissimus. Sic uidelicet creaturæ mutæ, ratione quoque ac sensu destitutæ, seruiunt gloriæ Dei: dum ratione præditi mortales uel muti sunt, uel, quod peius est, dedecorosi creatori suo.

Vers. 4.

Quintò, *In omnem terram egreditur sonus eorum, &c.* Notanda uenit hoc loco cōmunis illa & generalis erga quosuis mortales beneficentia, quâ diem, noctem, cælos, solem, & quæ alia sunt huiusmodi, communiter omnibus ubique totius orbis nationibus impertit, cuius Matthæi quinto ad hoc admonemur, ut illam tanquam sinceri filij Dei imitemur. Simul etiam cogitandum est, quā nulla relinquatur excusatio omnibus illis qui Deum creatorem suum non agnoscunt, quasi prorsus sit abditus, obscurus, & mutus. Loquitur omnibus, etiam in extremis orbis sinibus constitutis: nec loquitur obscuris uerbis, quæ intelligi nequeant, sed operibus quauis uoce clarius informantibus. Hæc attigit Apostolus, Rom. 1.

In eo quod Apostolus uersum hunc quartum ad propositum suum accommodat, ut admoñeat tum temporis adeo uocem Euangelij per uniuersum orbem insonuisse, ut nulla posset excusatio incredulitatis relinqui ludæis: admonemur primum, quanta sit bonitas Dei, quæ uoluerit: deinde, quanta uirtus, quâ potuerit per homines indoctos & imbecilles, doctrinam uitæ orbi incognitam, inter tot impios leones, serpentes ac dracones usque ad fines orbis, frustra renitentibus inferorum portis propagare, ut Apostolus suo iam tempore hunc uersum uerè citare potuerit. Tertiò, quā sint inexcusabiles quæcunque nationes terræ, quamuis remotæ & extremæ. Nulla est autem religio, cui uersus iste accommodari queat, nisi una illa, & in sempiternum uera, & totius humani

A humani generis salutis destinata, quæ est de Christo Iesu unico Seruatore toti mundo proposita: id quod & ipsum plurimum facit ad illius commendationem.

Soli posuit tabernaculum in eis.) Obseruandum hic est, quanta nos debeamus iucunditate Spiritus gloria ac dispensationem Christi ueri solis contueri ac deprædicare, ad exemplum hoc Prophetæ, qui singulari gaudio solis illius uisibilis commemorationem cantico suo inseruit. Primum dicit, soli tabernaculum locatum in cælis, unde prodeat, ac terram illuminet. Tabernaculum habitatio est. Hanc habet in cælis Christus, uerus ille & unicus sol, unde ad terras descendit, & genus mortalium illuminauit, & hodie quoque illuminat. Deinde comparat solem sponso è thalamo suo progredienti. Sponsus Christus est, sponsa ecclesia: sicuti & ipse, & Ioannes, & Apostolicæ literæ loquuntur. Imago sponsi huius & sponsæ, in sole & luna proponitur. Tertiò dicit, solem instar gigantis indefessi exultare ad currendam uiam. Proluxum iter solis, ab extremis finibus cælorum egressum habens, ac reditum rursus ad extremos cælorum terminos. Proluxum iter Christi è summo cælo in terras istas inferiores, in quas tanquam gigas ad expugnandum mundi principem Satanam descendit, ac rursus ad summitatem cælorum unde excurrerat reuersus est. Quartò, dat soli generalem quandam calefaciendi uim. Et Christus ut illuminat omnem hominẽ uenientem in hunc mundum, ita & corda eorum quos illuminat, ardorem spiritus sui calefacit & accendit. Hæc consideranda ueniunt homini Christiano in imagine illa uisibilis solis, quam hic Propheta carmine suo proponit.

Verf. 5. & 6.

Lex Domini perfecta, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Mandata Domini recta, lætificantiã cor: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

(per omnia.

Timor Domini mundus permanens in secula: iudicia Domini uera, iustificata

Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum: & dulcia super mel & fauum destillantem.

Etiã seruus tuus admonetur in illis: in custodiendis illis retributio multa.

11

Perfecta.) Ebr. *תמימה*. Græc. *ἀμωμος*. Vulg. Lat. immaculata. Sic & Felix, & Hieron. Pagninus & Iustinianus legunt, perfecta: reliqui uel integra, uel perfecta, aut absoluta, uertunt.

LECTIO.

Verf. 7.

Verf. 8.

Mandata Domini.) Ebr. *פקודי דבריהם*. Græc. *τα δεικνύμενα*. Vulg. Lat. iusticiæ. Hieron. Pagninus, & Iustinianus legunt, præcepta. Felix, Campensis, & Felinus, mandata: Tigurina uersio, decreta. Zuin-

glius, castigationes, siue mulctæ. Muniterus, commissiones.

Timor Domini mundus.) Ebr. *סורר*. Græc. *reddidit, ævis*. Vulg. Lat. sanctus. Reliqui legunt, mûdus.

Verf. 9.

Iustificata per omnia.) Ebr. *צדקה רחוקה*. Græc. *ἐν τῷ αὐτῷ*, quod legi potest, simul: ut est in Ebræo. Vulg. Lat. in semetipsa, ad quem modum legit & Hieron. Pagninus, pariter. Iustinianus & Felix, simul. Campensis, modis omnibus.

Etiã seruus tuus.) Ebr. *אני*. Græc. *ἐγὼ γάρ*. Vulg. Lat. Etenim. Hieron. & Iustinian. Vnde & Campensis, certè. Pagninus, Felix, & Tigurina, etiã.

Verf. 11.

Illud, admonetur in illis: Ebr. est, *בזהר בהם*. Græc. *φυλάσσει αὐτὰ*. Vulg. Lat. custodit ea, Hieron. docebat ea. Pagninus illustratur in eis. Iustinianus, sollicitus est in eis. Campen. docetur per ea. Felix, cautus fuit in ipsis. Tigurina, & Felinus, admonetur illis.

His quinque uersibus Propheta magna animi gratitudine ac pietate beneuolentiam illam Dei prædicat, quæ populo Israeli singulariter id præstitit, quod reliquis gentibus omnibus negauit, doctrinam uidelicet legis suæ, per quam non modò ueri Dei cognitionem ac sapientiam acquireret, sed & mundo corde ac mente alacri cognitum Deum coleret & obseruaret. Et hoc beneficiũ cum primis populo Dei considerandum à Mose proponitur, Deut. 4. Et ab hoc ipso Propheta psalm. 147. & ab Apostolo, Rom. 9. Apparet autem uoluissè Prophetam ad extollendam singularem hæc gratiam Dei Israeli concessam ea præmittere, quæ communiter omnibus totius orbis nationibus ob oculos ponuntur, nempe prædicationem cælorum, dierum, noctium ac solis, per quam ubiuis terrarum gloria diuinæ maiestatis illustri quidem, haud tamen uocali indicio, sicuti per legem Israeli contigit, extollitur ac celebratur. Ad eum modum & infra Psal. 24. cum uellet eam commendare singularem gratiã Dei, qua in Israele, monte uidelicet Zijon, habitationem suam instituit, de eo præmisit, quod uniuersa terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui in illo habitant, Domini sunt, tanquam conditoris omnium: admonens interim, quamuis uniuersa terra Domini sit, non tamen illum elegissè sibi ullius loci habitationem, præter unius montis Zijon: id quod ob eã causam, quemadmodum & hoc psalmo, cantico suo complexus est, ut populum Dei ad considerandum singularem eam gratiam, & ad animi gratitudinem adhortaretur.

EXPLANATIO.

Expendimus, qua ratione: iam uideamus, quomodo legem Dei Propheta extollat. Tribus uersibus, 7. 8. 9. primum illam uarijs nominibus appellat, secundum quod etiã uariæ sunt illius partes. Verf. 7. uocat eam *תורה*, id est, doctrinã Domini: eo quod per illam Israel in cognitione Domini, quidquid agere, & quid uitare deberet, instruebatur. Deinde uocat eam *פקודי דבריהם*, hoc est, testimonium Domini, propterea quod de uoluntate Domini testatur, & contestationem contra inobediens

inobediens

inobedientiam impiorum adiunctam habet. Ver. 8. appellat eam *חוקי יי*, id est, mandata Domini, Germanice *befelch*. Habet enim ea quæ Israël diuinitus seruanda mandabantur. Denique uocat eam *מצות יי*, id est præceptum Domini, quod quædam facienda præcipiat, quædam uet. Ver. 6. nominat eam *יראת יי*, id est timorem Domini, uel ob id quod timorem ac cultum Dei docet ac requirit, qui in eo potissimum est, ut præcepta Dei custodiantur. Eodem uersu uocat eam etiam *שפטי יי*, id est, iudicia Domini, uel ob id quod iura Deo debita inculcat, uel quod iudicia Domini contra transgressores comminatur. Et psal. 119. præterea uocat legem Dei *דרכי יי*, id est uiam Domini, & *חוקי יי*, id est statuta uel ceremonias Domini: & *חבר יי*, id est uerbum Domini: & *אמרת יי*, id est eloquium Domini: & *צדקת יי*, id est iusticiam Domini. Secundo loco, addit hic epitheta & elogia. Vtpote uersu 7. uocat eam legem perfectam, uel integram, absolutam & consummatam, item testimonium fidele, id est, certum; uerum ac firmum, cui tutissime credi possit: mandata recta, id est, nihil minus quam obliqua, sed plana & æqua: ad similitudinem uia, quæ plana est & recta. Hinc Iudæi *פשוט* planiciem uocant: Præceptum lucidum, quod nihil habeat obscuri: timorem mundum, id est sincerum, eo quod Deum puro ac simplici corde timere ac colere doceat: iudicia uera, id est, æqua, nihil iniqui habentia. His elogijs Propheta legem Dei tanquam absolutam, fidelem, certam, planam, lucidam, mundam & ueracem de prædicat, & perinde extollit atq; Paulus, qui eam uocat sanctam, spiritualementem, iustam, & bonam: Rom. 7. dubio procul ad hunc Prophetæ locum respiciens.

Efficacia legis

Tertiò, & eam legis D. laudem adijcit, quam illa meretur, ab effectu. Est enim illa duplici nomine commendabilis. Primum in seipsa tanquam perfecta, certa, plana, munda, uera, lucida, sancta, spiritalis, iusta & bona: deinde, propter illius efficaciam. Enumerat autem operationes illius quatuor. Ver. 7. dicit, quod animas conuertat. Exponitur ista animarum conuersio bifariam. Primum de resipiscencia, qua mentes nostræ ad Deum conuertuntur. Deinde de recreatione ac refocillatione animi tribulati: quasi idem sit hoc loco conuerti animas, atq; pacatas reddi. Videtur autem hæc dictio *בשרי יי* infra psal. 23. hoc sensu accipi, cum uates dicit *בשרי יי*, id est, Animam meam restituit & recreauit. Verum nihil refert, utrovis modo legas & intelligas. Nam nec ista animarum recreatio sine resipiscencia, nec resipiscencia, modò uera sit, sine hac ratione animarum contingit.

Deinde eodem uersu legem ob id commendat, quod paruulos erudiat, ac sapiētes efficiat. Intelligit autem non ætate, sed & animo & intellectu paruulos. Nec de sapientia mundi loquitur, sed de ea quæ est ex cognitione Dei. Hac de re Salomon in Prouerbij suis aliquot capitibus diligenter agit, & Hier. cap. 9. & Moses Deut. 4.

Verf. 8.

Tertiò, dicit legem Dei latificare corda: hoc est, animum pij hominis ad ea quæ Deo probantur, promptum reddere & alacrem. Delectantur enim pij lege ac uerbo Dei sui, inq; eo quo delectantur, magna animi iucunditate noctes ac dies meditantur, ac meditates exhilarantur.

Psal. 1.

Quartò, dicit illam illuminare oculos, mentis uidelicet: hoc est, intellectum dare, & cognitionem cum Dei, tum nostri ipsorum, id est tam D. uoluntatis, quam nostræ corruptionis: & præterea dat etiam rerum agendarum intellectum, ne homo sit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Paulus nescisset concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, Ne concupiscas.

Rom. 7.

Verf. 9.

Hactenus efficaciam legis commendauit, consequenter uersu 9. redit ad ea quæ legem primum propter perpetuitatem, deinde iustificationem commendant. Timorem Dei, quam lex docet & requirit, dicit esse permanentem in secula: hoc est, requiri eum ab omnibus mortalibus usq; in seculum. Sicut & Salomon dicit, Deum time, & mandata eius obserua: hoc est, omnis homo.

Eccles. ult.

Deinde & Deo perpetuò probari, si timeatur ab hominibus, quicunq; illi sint. Vnde & Petrus dixit, Act. 10. In omni gente qui timet Deum, acceptus est illi.

Eodem uersu dicit, iudicia Domini per omnia, uel ut quidam legunt, simul esse iustificata. Hoc est, omnia ea quæ lex Deo tribuit iura & iudicia, nihil in se prorsus habere iniqui, sed esse talia, quæ cuncta summam iusticiam & æquitatem spirent. Hinc est, quod Paulus legem Dei iustam esse dixit, & bonam: Rom. 7.

Verf. 10. commendat legem Dei ab utilitate pariter & iucunditate. Ad utilitatis commendationem pertinet, quod extollit precium illius super aurum & lapidem preciosum multum. Auri & lapidum preciosorum æstimatio reliquis terrenis bonis præfertur in seculo. Vt igitur legis D. thesaurum supra cuncta terrena extollat, dicit eam esse talem quæ magis debeat appeti, quam uel aurum uel lapides preciosi. Sic & infra psal. 119. dicit, Lex oris tui super mille thesauros auri & argenti. & Salomon Prouer. 3. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti. Ad iucunditatem ac suauitatem legis D. quam spiritus hominis pij in meditatione D. legis experitur, pertinet quod dicit: Et dulcia super mel & fauum distillantem. Quid dulcius melle inquit illi Iudic. 14. qui problema Samsonis soluebant. Igitur Propheta ut legem Dei diceret menti piorum omnium esse iucundissimam, supra id eam extollit, quo nihil ori comedentis dulcius esse poterit.

Verf. 11. seipsum ponit exempli uice, ut qui sit utranq; istam & utilitatem & suauitatem legis D. expertus: ne putetur præter experientiam de rebus adeò magnis differere. Et ut exprimat cordis sui affectum, quem erga ipsum legislatorem Deum habebat, sermonem ad ipsum conuertit, dicens: Etiam seruus tuus admonetur in illis, in custodiendis illis retributio multa. Sed uideamus etiam, quæ sint in hisce quinque uersibus obseruanda.

OBSE.
Verf. 7.

Lex Domini perfecta. Quæri poterit hoc loco, quomodo legem Propheta dicat esse perfectam, cum

A cum illam Apost. nihil ad perfectionem adduxisse scribat. Verum legis perfectio dupliciter consideranda est. Primum in seipsa, ut intelligamus omnia contineri in illa, quæ ad perfectam ac solidam pietatem pertinent. Sic utiq; lex perfecta est, etiam quatenus est in litera occidente. Haftenus etiam sancta, iusta, & bona est. Deinde & in efficacia legis consideranda est ista perfectio, an discipulos suos perfectior reddat. Hic planè uerum est quod Apostolus dicit, legem nihil ad perfectiorem adduxisse. Per carnem enim infirmatur, quæ in se firma est, & perfecta. Et aliud est, non esse perfectum: & aliud nihil ad perfectionem adducere. sicut aliud est, esse musicum imperfectum: & aliud, neminem ex discipulis perfectum reddere musicum, id quod etiam perfecto musico accidere potest. Errant illi plurimum, qui putant Christum Matt. 5. legi adjicere quædam tanquam imperfectæ, cum nihil illi adjiciat, sed sensum ac spiritum illius contra Phariseorum deuteriosim exponat. Sed hac de re in Matthæo nostro.

Lex perfecta, et tamen inefficax.

I

Ebr. 7.

Rom. 8.

Conuertens animas. Principio notandum est, quod non dicit, Conuertens ora, facies, uestitus; sed Conuertens animas. Hæc enim uera demum est resipiscencia, qua corda conuertuntur. Per hanc enim homines uerè mutantur, & alij redduntur.

Deinde & illud notandum est, quod dum legi Dei conuersionem animarum, sapientiam paruulorum, exhilarationem cordium, & illuminationem oculorum tribuit, satis indicat, extra uerbum Dei omnes omnium animas à Deo esse auersas, stultas, expertas ueri gaudij, & prorsus cæcas: atque ita fortissimè omnem huius mundi iusticiam, religionem, sapientiam, intelligentiam, & quascunque delicias rejicit. Quæ igitur insania est, quod cum nemo non cupiat esse uerè felix, sapiens ac intelligens, non ibi quærimus ista, ubi sic sunt reposita diuinitus ut alibi inueniri nequeant.

Tertio, oritur hic quæstio, quomodo ista legi Dei Propheta adscribat, quod corda immutet, animos exhilaret, paruulos erudiat, & oculos illuminet, cum tamen diuersum in Israele populo legis huius appareat. Nemo enim obstinatiores eo populo fuit unquam, qui semper Spiritui sancto resistit, & non præter rationem duræ ceruicis populus, & Deo perpetuò contradicens uocatus est. Et Moses ipse Deut. 29. dixit, ad eum usq; diem non dedisse Deum populo illi cor intelligēdi, oculos uidendi, & aures audiendi: cum tamen illi legem suam dedisset. Et Apostolus legi Dei operationem iræ tribuit: & peccatum per legem reuixisse dixit, & eam ob causam legem hanc legem mortis, & alibi uirtutem peccati, literam occidentem, ac ministerium illius, ministerium mortis & condemnationis uocat. Videntur ista parum conuenire cum istis Prophetæ huius elogijs, quibus legem Dei ab operationis suæ efficacia commendat: nisi dicturi sumus, de alia lege Vatem, ac de alia Apostolum loqui.

Ast. 7.

Rom. 4. 7.

1. Cor. 15.

2. Cor. 3.

B Respondeo. Primum Propheta non loquitur hic de alia lege Dei, quam de qua loquitur Apostolus: nempe, quam populo suo Deus per Moysen, tanquam preciosissimum thesaurum dedit. Et hoc satis indicant uoces illæ *מִשְׁפָּטִים, יְרָאָה בְּרִיָּה, מִדְּרִים, עֲרִירָה, תִּירָה*.

Deinde, loquitur Propheta de ea legis efficacia, quæ reperitur in regeneratis, ad quam etiā data est, nempe ad uitam. Rom. 7. In illis operatur lex Dei, per spiritum Dei: hæc omnia non quatenus in litera est & tabulis lapideis, sine spiritu, sed ut est cordibus credentiū digito Dei inscripta. Haftenus uidelicet in istis operatur, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, lætificans corda, & illuminans oculos: hæc enim utilissima est, & iucundissima. Quæ uero Paulus legi Dei tribuit, de quibus nonnulla attigimus, respiciunt eam efficaciam, quam operatur in hominibus carnalibus spiritu Dei uacuis, ubi nihil aliud est lex quam litera occidens. Illis scilicet lex Dei, quantumuis sancta, bona, recta, iusta, delectabilis in se ac pijs, dura est & grauis. Hosce excæcat, obstinatos reddit, & in conscientijs angustiatos. Si inciderit in hominem hypocritam & iusticiariū, illum reddit arrogantem, superbum, seuerum, immisericordem erga delinquentes infirmos, & obstinatissimum Euangelicæ gratiæ hostem. Si nacta fuerit peccatorem, aliquo saltem conscientia sensu præditum, hunc mirum in modum grauatur, terret ac deijcit, licet sit & mitissima & optima. At haftenus Apost. legem Dei contra hypocritas & iusticiarios gratiæ & iusticiæ fidei hostes extenuat, ut efficaciam spiritus per legem fidei sese exerentem extollat, tam non diuersus à sententia Prophetæ huius, ut planè ad eundem scopum collimet. Itaq; diuersitas operationum legis Dei tam non facit legem in se diuersam, quam sol diuersus non est, licet aliorum oculos lædat, aliorum contra illuminet: nec medicina diuersa est, quamuis quibusdam ægrotis bene, quibusdam uerò malè conueniat: nec Christus alius atq; alius in se est, tametsi alijs ad ruinam, alijs contra ad resurrectionem faciat. Nec dissident à seipsis Apostoli, propterea quod alijs sunt odor uitæ ad uitam, & alijs odor mortis ad mortem.

Quartò, obseruandum est, quod legem Dei uocat testimonium Domini. Hoc loco debet & nobis esse quodcunq; uerbum Domini, per quod & diuinæ erga nos uoluntatis testimonium accipimus, & conscientia nostræ omni excusatione priuantur. Si testimonium uiri ueracis, ac fide digni, magni censetur momenti: quanto magis testimonium Dei, qui solus ita uerax est, ut mentiri nequeat, dignissimum est, quod fidem in cordibus nostris inueniat. Vnde & adiectum est elogiū, quod sit fidele. Est itaq; singularis hic diuini uerbi usus, ut de uoluntate & gratia Domini erga nos, tanquā certissimo omniū testimonio in cordibus nostris persuasi, certi reddamur: id quod & prorsus hic uisum apud eos, qui fide uerbo Dei adhærent. Procul igitur abijcienda est detestabilis illa dubitationis doctrina, quam sophistæ ecclesijs Christi obtruserunt.

Quintò,

5 Quinto. Sapientiam, inquit, præstans paruulis. Considerandum hic est, quæ sit, & unde, & quomodo. Cuiusmodi, uera sapientia. De sapientia multis disputant huius mundi sapientes: sed si rem ipsam rectius introspicias, habent illi non ueram sapientiam, sed magis spectrum quoddam sapientiæ, omnium inanissimum, ante oculos, cui omnem eam laudem tribuunt, quæ ueræ sapientiæ debetur: perinde facientes, atque si quis honestæ matronæ encomia tribuat uanissimo scorto. Videmus hic sapientiam ueram esse in eo, ut custodiamus ea quæ uerbum Dei fideli nobis testimonio proponit. Ea sunt autem, fides, dilectio Dei & proximi, timor Dei, cultus Dei, inuocatio diuini nominis, & si qua sunt alia huiusmodi. Deinde hæc sapientia non oritur ex humanæ rationis industria, sed ex diuino testimonio. Tertiò, non est magnorum, potentum ac sapientum huius mundi, sed paruulorum, infirmorum ac stultorum. Unde hic non dixit simpliciter, sapientiam præstans: sed adiecit, paruulis. Vide Matth. 11. Quoniam abscondisti hæc a sapientibus ac prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et 1. Cor. 1. Non multos nobiles, &c. Et Esa. ult. Super quem requiescam, nisi super humilem, &c. Si hæc uera sunt, certa sunt, theologica sunt: quid aliud sequitur, quam nihil esse minus quam sapientes eos qui in hoc mundo uidentur esse sapientissimi: & tam non debere mirum uideri, quod qui iuxta seculum magni sunt & sapientes, sapientiæ uerbi Dei repugnant: ut magis admiratione dignum esse debeat, si ex illis quisquam ueritati uerbi Dei fauere deprehendatur.

OBSER.

Vers. 8.

Mandata Domini recta: Item, Præceptum Domini lucidum.) Obseruandum est hoc loco, quod legem Dei rectam, id est, planam & æquam, & lucidam uocat. Ergo proditur & culpatur naturæ nostræ corruptio, propter quam fit, ut lex plana uideatur difficilis ac torta: & lucida cum sit, uideatur obscura. Illic dicimus, mandata Domini sunt difficilia & molesta, non possumus in illis ambulare. Vox hæc podagricorum est, quibus uia plana etiam, molesta est ad ambulandum. Hic dicimus, lex Dei obscura est, superat captum nostrum, non intelligimus eam. Vox ista cæcorum est, claritatem celestis præcepti non uidentium. Contra istorum sententiam Spiritus sanctus in regeneratis, dicit, Mandata Domini recta: &, Præceptum Domini lucidum. Deinde uocibus istis, Lex Domini, Testimonium Domini, Mandata Domini, Præceptum Domini, admonemur paternæ providentiæ ac diligentiae, qua populum suum Deus ad se conuertit, sapientem reddit, exhilarat & illuminat. Quid enim aliud uolunt hæc uoces, quam diuinam erga nos beneuolentiam exprimere, qua secundum dictum Prophetæ manus suas tota die ad populum suum docens, testificans, mandans & præcipiens, expandit?

Tertiò expendamus etiã hic qualitatem tam mandatorum Dei, quam piorum hominum, in eo quod D mandata Dei corda exhilarare dicit: Mandata Domini recta, inquit, lætificantia cor. Mirabile sane mandatorum genus, quibus corda mortalium lætificantur: & mirabile genus eorum hominum est, qui non mandando, sed mandata accipiendo exhilarantur. Sic enim natura comparati, imò corrupti sumus, ut magis delectemur alijs mandando, quam mandata à quoquam accipiendo: magis exhalaremur imperando, quam imperantibus obediendo. Imperare siquidem, augmentum & gloriosum: obedire uerò, seruile ac miserum esse iudicamus. Qualia sunt igitur ista mandata quibus mortaliu corda cum gaudio sese submitunt: & quales illi sunt, qui mandatis acceptis exhilarantur? Primum, mandata ista talia sunt, ut per ea diuina possit intelligi beneuolentia: talia sunt, ut ad uitam faciant, sicut Apost. dicit, Et mandatum mihi datum erat ad uitam. Hoc ipsum enim quod Deus mortalibus mandata præscribit, quod lex ponitur ipsius est indicium. Nisi enim diligeret, non præceperet. Deinde & talia præcipit, quæ perinde sunt, atque medicorum præcepta, quorum finis est uita. Tertiò electi ac pii, quorum corda mandatis Dei lætificantur, conuersi sunt, sapientes sunt, oculos habent apertos, ut & qualitatem mandatorum Dei, & simul mandantis consilium & beneuolentiam intelligant. Itaque hisce de causis uidemus non esse mirum, quod mandata Dei corda piorum lætificant: sed id potius insolens & mirum debere uideri, quod tam multi sunt, qui mandatis Dei non lætificantur, sed magis grauantur.

Conferenda sunt etiam hoc loco mandata hominum ac traditiones, ad istam mandatorum Dei qualitatem & efficaciam. Mandata Domini sunt recta, ac plana: hominum, obliqua, intricata, perplexa & contorta: mandata Dei lætificant cor, hominum uerò contristant ac perturbant: præcepta Dei lucida sunt, hominum obscura & caliginosa: præcepta Dei illuminant oculos, humana præcepta hypocrisis & uana specie & opinione excæcant. Quod si quis ista negat, reliquum est, ut eandem gloriam tribuat humanis præceptis ac traditionibus, quæ mandatis Dei debetur. quisquis hoc facit, re ipsa uerum esse declarat, quod traditiones ac præcepta humana non illuminare oculos, sed excæcare dico. id quod illis quoque cõtingit, ad quos Christus dicebat, Vos irrita facitis mandata Dei, propter traditiones uestras.

OBSER.

Vers. 9.

Timor Domini mundus.) Querendum hic, quomodo timorem Domini deputet eorum obseruantia præceptorum, quæ uersu præcedenti corda lætificare dixit. Videntur ista parum inter se conuenire, gaudium uidelicet cordis, & timor eadem in re, & erga eundem legislatorem. Sic habet in rebus humanis, ut ij potissimum timeant, qui conscientiam peccati sentiunt in corde: diligant uerò, qui cum gaudio imperata faciunt. At hic uidemus non solum diligere pios, quorum corda mandatis Dei lætificantur, sed & timere. Verum ut significetur timoris huius qualitas, adiectum est, quod sit mundus ad discernendum ab eo qui immundus est, id est seruilis, qui prorsus in eo pectore locum non habet, quod obseruantia mandatorum Dei delectatur. Sed hac de re uide supra psalmo

A psal. 2. ibi, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Deinde & illud expendendum est, quod timorem hunc perpetuo permanere dicit. Iterum discriminatur inter timorem seruilem, & hunc quem purum uocat. Qui seruiliter timet, tam diu timet, quandiu periculi ac poenae manet respectus: ubi uero nihil amplius putauerit esse periculi, timorem mox abijcit, & securitate quadam praepostera commutat. Qui uero non seruiliter timet, sed timore casto, puro, ac sincero praeditus est, qualis est castae matronae erga maritum, & filij ingenui erga parentem, is quia non metu poenae, sed spiritu charitatis Deum timet, illius sane timor constans est. Sic populus Dei per secula Deum suum tam prosperis quam aduersis rebus timet, id est colit & obseruat.

Sed uidetur Apostolus diuersum sentire, cum Romanorum octauo dicit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Apparet enim timorem hunc deputare ueteris testamenti populo, ac se iungere ab illis qui sub noui sunt testamenti gratia. Respondeo. Spiritus ille timoris, de quo loquitur Apostolus, eorum est, qui adhuc sub lege sunt tanquam paedagogi, & nondum sub gratia de quo non loquitur hic Propheta. Hic certe non permanet diutius, quam tantisper dum spiritus Christi & filiorum Dei pectora adflauerit. At timor ille mundus, de quo canit Propheta, nihil aliud est quam sincera & pura obseruantia coelestis patris, qua praedita sunt utriusque testamenti conuersorum, laetificatorum, & illuminatorum corda. Quapropter nulla est iater Prophetam & Apostolum discrepantia.

Tertio, nec illud transeundum est, quod de iudicijs Dei praedicat, esse uera, & per omnia iustificata. Obseruandum hic est, quid requirendum sit a iudicijs: hoc uidelicet, ut sint uera, & per omnia iusta. Reijcitur ergo omnis falsitas, & iniquitas. Quapropter nemo minus aptus est ad iudicandum, quam ij qui uel per ignorantiam, cognitionem rerum de quibus iudicandum est, non habent, ut uere & recte iudicare possint: uel cognitam ueritatem fraude & iniquitate pessundant, & data opera iniuste iudicant.

Adhaec, quod Deum concernit, uidemus hic illi tribui, quod sit gnarus rerum omnium, deinde & iusticiae amans ac studiosus. Nisi enim talis esset, nec uere, nec iuste iudicare posset.

Et illud obseruandum est, quod non simpliciter dicit, iustificata esse iudicia Dei: sed addit, Per omnia. Ergo iusticia Dei non est temporaria, non est particularis, non est imperfecta, & inconstans, sed perfecta, plena, & perpetuo sibi ipsi constans. Habent ista iudicia Dei peculiaria praeter omni humano iudicio. Licet enim reperiatur iudex, qui aliquando uere ac iuste iudicet, talem tamen nunquam reperiatur inter homines, cuius iudicia per omnia uera sint ac iusta.

B *Desiderabilia super aurum, &c.* Expendamus hoc uersu iudicium ac sententiam pij hominis, quam OBSER.
ille diuersum sentiat a iudicio non uulgi modo, sed & eorum qui uideri uolunt admodum sapientes. Vers. 10.
Hic dicit, legem ac uerbum Dei praestare non auro modo, sed & lapidibus preciosis admodum. Qui secundum seculum sapiunt, omnes suas diuitias collocant in auro, & lapidibus preciosis: id quod ferè faciunt huius seculi principes, qui subinde subditis expilatis, pro exiguo lapillo ingentem pecuniarum summam expendunt, imò profundunt. Pius uero sine ulla pecunia thesauros colligit, omnibus huius mundi opibus praestantiores. Sic fit, ut pauperculus aliquis iuxta seculum maximis regibus sit opulentior. Habent enim illi opes perituras, iste perpetuas: illi terrenas, iste coelestes: illi quas fur uel latro quisquam auferre, iste quas nemo, ne portae quidem inferorum, abripere potest. Verum hunc diuinæ legis thesaurum nemo agnoscit, nisi possideat: possidetur autem non nisi a fidelibus, ac regeneratis. Carnales ut illius sunt expertes, sic eum agnoscere non possunt, quia sensu spiritus ac fidei destituuntur. Quapropter accidere uidemus, ut qui acquisito coelesti thesauro, fastidio terrenarum opum afficiuntur, a sapientibus & prudentibus huius mundi quasi inepti ac stulti rideantur.

Deinde & illud cogitemus: Et dulcia, inquit, super mel & fauam. Extolli suauitatem interni hominis, è gustu diuinæ legis conceptam, supra suauitatem externi oris, quam adferunt ea quae uidentur esse dulcissima. Hanc collationem non potuisset facere Propheta, nisi utriusque dulcedinis periculum fecisset. Ita nemo poterit excellentiam coelestis ac spiritualis dulcedinis, item & opulentiae, supra terrenam terrenarum rerum suauitatem extollere, nisi & illius imperfectionem & huius perfectionem per experientiam cognouerit.

Etiam seruus tuus admonetur in illis. Primum notandum est, quod non dicit, Iustificatur in illis: sed, OBSER.
Admonetur in illis, cautus per ea redditur. Non discrepat à seipso Spiritus sanctus in scripturis Vers. 11.
Prophetis & Apostolicis. Apostolus disertè dicit, non esse iusticiam ex lege. Alioqui Christus inaniter fuisset mortuus, & uana esset omnis promissio. Rectè itaque nec Propheta legi tribuit, quod in illa sit iustificatus.

Deinde obseruandus hic usus mandatorum Dei, quo se admonitum fuisse, ac cautum factum esse dicit. Erat illi studium diuinæ obseruantiae, & uerae pietatis & iusticiae. Verum quoniam adhuc agebat in carne, accidebat subinde, ut sibi ipsi excideret, & non nihil à tramite uiae Dei declinaret. Hic succurrebat illi usus uerborum ac mandatorum Dei, ut admoneretur, & uelut è somno quodam excitaretur. Primus usus uerbi Dei est, ut doceantur ignorantes. Alter est, ut scientes ea quae Dei sunt, subinde admoneantur, ac delinquentes corrigantur, & ad uiam reuocentur. Sic Apostolus de scripturis loquitur 2. Tim. 3.

Tertio, nec illud praeter rationem est, quod non simpliciter dicit, Et ego admoneor in illis: uel, omnes admonentur in illis: sed, *Seruus tuus admonetur in illis.* Non enim mox omnes uel lectio

ne, uel auditu, siue quacunq; recordatione mandatorum Dei admonentur, & ad uiam reducuntur. C
tur: sed ij tantum, qui ut serui Dei, timore & obseruantia Dei tenentur.

Quarto, consideremus etiam hic personā Prophetæ. Erat rex populi Israelis, & hactenus quoque seruus Dei. Agnoscit hoc, cum se seruum Dei uocat: & tam abest, ut se putet propter regiam maiestatem ab obseruantia mandatorum Dei exemptum, ut fateatur se esse seruum Dei, & mandatis illius plus quam cæteros obstrictum. Vide Deut. 17. quid regi hac de re præcipiatur.

Quinto, in custodiendis illis, inquit, retributio multa. Obseruanda hic est Ebræa dictio *אֲשֶׁר*, quæ omne illud significat, quod finem uel operis alicuius, uel studij perinde atq; fructus quidam consequitur, siue illud studio quærat, siue non quærat: imò etiam si operans nolit, ut sequatur: ad quem modum fructus mali operis, etiam non quæsitus, sic sequitur, ut uitari nequeat, sed inuitos quoq; apprehendat. Ad hunc modum & illorum studium, qui mandata Dei diligunt & custodiunt, fructus, id est utilitas non mediocris, sed ingens sequitur, etiam si illi respectum retributionis alicuius non habeant, sed simplici ac sincero corde in uia mandatorum Dei currant, unum hoc spectantes, ut Domino Deo suo gratificentur.

12 Delicta quis intelligit? ab occultis munda me.

13 Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum, ne dominantur mihi: tunc integer ero, & mundabor à transgressionē magna.

14 Complacent eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo, Domine rupes mea, & redemptor meus.

LECTIO Delicta quis intelligit? Ebr. *אֲשֶׁר* Græc. *ὑποκατάστατον*. Vulg. Lat. Delicta. Hieron. Iustinianus, Pagninus, Felix, & Tigurina, legunt, errores.

Verf. 13. Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum. Ebr. *אֲשֶׁר* Græc. *ὑποκατάστατον* quædam τὸ δόξα. Vulg. Lat. Et ab alienis parce seruo tuo. Hier. A' superbis quoq; libera seruum tuum. Iustin. Ab arrogantibus quoq; libera seruum tuum. Pagnin. Etiam à superbis prohibe seruum tuum. Felix, Etia à superbis contine seruū tuū. Tigurina, Quin & flagitia auerte à seruo tuo. Sic legit & Felinus.

Ne dominantur mihi, tunc integer ero. Sic habent Ebræa. Græcus uerò & uulgata Lat. sic legunt: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, &c. ad quem modum legit & Hieron.

Et mundabor à transgressionē magna. Ebr. *אֲשֶׁר* id est, Ex innocens ero: aut si sic dicere liceret, innocentificabor à transgressionē magna. Sic Tigurina, & innocens ero. Reliqui ferè omnes, Græcus quoq; & uulg. Lat. & Arabs etiam, per uerbum mundandi uertunt. Cæterum illud, A' transgressionē magna, Græcus uertit, *ἀπὸ πάντων τῶν ἁμαρτιῶν*, id est, à peccato maximo. Vulg. Lat. A' delicto maximo. Sic & Hieron. Iustinianus, A' culpa multa. Pagninus, A' prauaricatione magna Felix. A' transgressionē maxima.

Verf. 14. Complacent eloquia oris mei. Ebr. *אֲשֶׁר* Græc. *ὑποκατάστατον*. Vulg. Lat. Et erunt ut complaceant. Hieron. Sint placentes sermones oris mei. Iustinianus: Sint ad placendum. Pagninus, Erunt ad uoluntatem.

EXPLA Quoniam præclara & insignia quædam de lege Dei cecinit, uidelicet, quod sit perfecta, fidelis, NATIO recta, lucida, munda, uera & iustificata, deniq; animas cōuertat, corda lætificet, paruulis sapientiā præstet, oculos illuminet, super aurum & lapides preciosos desiderabilis, & melle quouis dulcior sit, quodq; per hanc admoneatur & cautus reddatur, & quod custodientibus illam magna retributio contingat: rectè iam de propria infirmitate & corruptione admonitus, qua fiebat ut legis diuinæ perfectioni haudquaquā responderet, peccatorū suorum, delictorum, iniquitatum ac transgressionum non modò, quarum conscius sibi ipsi erat, sed & occultarum remissionē orat, dicens.

Verf. 12. Delicta quis intelligit? q. d. Lex quidem Dei perfecta in se est, &c. Verum quis adeò perfectus est, ut contra illam non peccet? imò quis adeò cautus & sui ipsius obseruans est, ut delicta sua, quibus, quando, & quomodo ab hac D. legis perfectione præuaricaretur, intelligat? Quasi dicat, talis ego non sum. Scio me plura delinquere, quàm ipse intelligam. Quapropter obsecro Domine, uelis ignoscere peccatis meis, & ab illis quoque mentem meam repurgare, quorum conscientia & sensu non tangor. Hoc sentio esse occultum quoddam uirus in me, cuius maliciam nunquam satis obseruare possum.

Verf. 13. Versus tredecimus, cum dicit, Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum: auxesim habet confessionis propriæ corruptionis. Q. d. Quid de occultis loquor? Scienter, prudenter, ac temerè pecco, ac madata tua enormiter transgredior. Etia hinc me Domine libera, ne tam grādi malicia perdar. Succurre, ne illa mihi domineat. Si me ab illa liberaueris, integer ero, & enormi transgressionē liber.

Verf. 14. Versu postremo cōmendat se gratiæ ac beneuolentiæ Dei, orans ut eloquia oris sui Deo probentur. Et ne de uerbis obiter in ore natis loqui uideatur, quorū nulla apud Deum habetur ratio, subiungit, Et meditatio cordis mei in conspectu tuo: quibus uerbis significat, se non hypocritarū more uerbis cum Deo ludere, sed & intimis cordis sui affectibus loqui. Subijcit: Domine rupes mea, & redemptor meus. His uerbis fontem aperit omnis studij sui erga Deū, & precatationis huius, qua delictis suis ignosci petit. Omnia hæc promanabant ex fide ac fiducia erga Deum, qua credebatur se Deum habere rupem ac redemptorem, & hac fide totus ab illo, ut à tali, pendebat.

OBSER. Delicta quis intelligit? Principiò notandum est, quod delictorum suorum admonetur Prophetæ, ubi

A ubi de diuinæ legis perfectione, puritate, & efficacia loquitur. Sic solent pii, quoties uel in Deo, uel lege Dei, aut in iusto aliquo homine ueræ iusticiæ puritatem contemplantur, confestim propriæ infirmitatis, impuritatis & corruptionis admoneri. Cum Petrus diuinam quandam uirtutē in Christo expertus esset, mox peccatorum suorum admonitus dicebat: Exi Domine à me, quia homo peccator sum. Paulus Rom. 7. cum De lege Dei disputaret, quā illa sit sancta, iusta, & bona, statim subiicit de carnis suæ corruptione & querimoniam & confessionem. Verū pharisaica hypocrisis longē aliter comparata est. Illa repetit ubiq; unde supercilium propriæ iusticiæ erigat & iactet. Deinde obseruandum est, quod non dicit, Quis nō delinquit? uel, Delicta quis non habet? sed, Delicta quis intelligit? Notatur hic occultum illud malum, peccatum scilicet ex origine generis humani contractum, latens in uisceribus nostris, & ipsam naturæ nostræ medullam & in timos abstrusissimosq; recessus ac reconditam affectuum sedem ac matricem occupans; unde cogitationes cordium nostrorum sic inficiuntur clanculum & impurantur, ut dum nostro iudicio, nescio quæ bona mente concipimus, si rectē inspiciantur, errare ac delinquere deprehendamus, antequam errare nos intelligamus. Agnoscit hoc in seipso Propheta, ac deplorat in cōspectu Dei. Nec simpliciter in se agnoscit ac deplorat, quasi priuatim quoddam malum: sed tanquā omnibus mortalibus cōmune. Neq; enim dicit, Delicta non intelligo: sed, Delicta quis intelligit? Admonemur ergo omnes, ut quisq; in se exemplo hoc Dauidis, corruptionem cordis ac renū suorū obseruet, certus inesse sibi occultum hoc uenenum, quod omnia cogitata, dicta & facta citius inficiantur, quā obseruari possit. Hæc persuasio reddit animum cautum, & sui ipsius studiosissimē obseruantem: sic ut omnes suas cogitationes perpetuō suspectas habeat: ne dum nimium placent, incautum fallant, & à uaria iusticia abducant. Tertiō, nec uerbum intelligendi prætergrediendum est. Nam illo Propheta innuit, eiusmodi se studio cauere ne quid peccet, ut nolit scienter delinquere: atq; ideo de hoc queri, quod peccata præter scientiam non intelligenti obrepunt. Qui hoc studio præditus nō est, haud admodū ea quoq; peccata cauebit, quæ scienter ac prudenter committuntur. Sic animati sunt illi, qui uerē & ex animo quod malum est & noxium, uitare cupiunt, ut nō modō à manifesto sibi, sed & ab occulto malo timeant. Qui uerē sanus esse cupit, non modō manifestam, sed & occultam ualeudinis suæ læsionem timet. Qui bonis suis priuari nō uult, magis aliquanto fures occultos quā manifestos deprædatores timet. Sciunt enim talēs non minus lædi se occultis detrimentis, quā manifestis. Nō potuit uidere Dauid quātum peccaret numerādo populum: nec Ezechias intelligebat delictum suum, cum nuncijs Chaldæorū thesauros suos ostenderet: nec Saul, cum regem Amalechitarum: neq; Achab, cum Benadab regem Syriæ, uiuū seruaret: nec Oza, cum extensa manu arcam Dei nutantem teneret. Verū re ipsa experti sunt,

2. Sam. ult.

2. Reg. 20.

1. Sam. 15.

1. Reg. 20.

B quod deliquissent in Dominum.

Quartō, *Ab occultis, inquit, munda me.* Primum illud obseruandum est, quod non dicit: Cum ergo nemo delicta intelligere queat, sed in omnibus illa clanculum sic obrepant, ut uitari nequeant, quomodo ego illa cauere potero? Quid mihi impingeretur, quod & omnibus communiter accidit, & à nemine mortalium cauere potest? Longē aliter animatus est uir Dei. Agnoscit sibi meritō etiam occulta delicta imputari, per quæ illa effici, ne planē innocens esse possit. Ideo non simpliciter dicit, Ab occultis libera me, sed *ab occultis, id est, innocentem me redde.* Ergo & occulta delicta innocentia adimunt. Non erat innocens Saulus, cum ecclesiam Dei per ignorantiam persequeretur. Et nihil facit ad extenuationem peccati, quod communi omnium morbo laboramus. Deinde notandum & hoc est, quod Deo tribuit scientiam occultorum delictorum, quæ nos ipsi intelligimus. Vocat delicta quædam occulta, eo quod ipsi delinquenti sunt incognita: & tamen orat Deū, ut illa condonet: quod absurdē diceret, nisi Deum secretorum cognitorem esse sentiret. Hic in Scripturis uocatur cordium ac renum scrutator. Cogitemus itaq; nō posse nos celare eum consilia nostra, quantumuis secreta, cui etiam ea nota sunt quæ nos latent.

Etiam à temerarijs, &c. Principiō obseruemus hic, neminem esse adeo sanctum, iustum, ac singularem dono spiritus præditū, qui nequeat nō simpliciter modō, sed & enormiter ac temerē peccare. Agnoscit hoc Propheta, ideoq; non hoc tantum orat, ut ab occultis mundetur, sed simul & illud petit, ut cohibeatur, ne in temeraria peccata & enormem aliquam transgressionem incidat. Et res ipsa declarat, quā non frustra fuerit hoc metu præditus. Incidit enim in satis enormia crimina, adulterij & homicidij. Simul & illud cogitemus: Si uir iste, tanto studio cauendorum scelērum præditus, quamuis magnopere orauerit, ut cohiberetur per diuinam gratiam à temerarijs peccatis, imō ab occultis quoq; & ignotis mundaretur, nihilo tamen minus in tā grandia, & enormia scelera incidit: quid putabimus nobis euenire nō posse, quantumuis temerariū & flagitiosum, qui tā nullo cauendorum peccatorum studio præditi sumus? Deinde & cohibendi uerbum notandum est: Cohibe, inquit, seruum tuum. Aliud est, obiter per infirmitatem uel ignorantia in peccatum labi: & aliud, propendere, & quasi impetu quodam ferri ad peccandum. Sic habet autem naturæ nostræ corruptio, ut necesse habeamus coerceri à peccatis: perinde atq; phrenetici & mente capti cohiberi solent, ne seipsi uel in aquam, uel in ignem, aut alias præcipientes abijciant.

OBSER.

Ver. 13.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

Tertiō, *Ne dominantur, inquit, mihi.* Videmus hic, quid metuendum sit peccantibus. Non simpliciter aliqū lapsus metuit Propheta, sed durissimā peccati seruitutē. Contra hanc orat dicens. Ne dominantur mihi. Sic Christus dicit. Qui facit peccatū, seruus est peccati. At huiusmodi seruitus malē

3

Ioan. 8.

s 2 conuenit

conuenit seruo Dei. Vnde rectè nō dicit, Cohibe me: sed, Cohibe seruū tuū, ne dominantur mihi. **4** Quarto, Tunc integer ero, inquit, & mundabor à transgressione magna. Obseruandum est hoc loco, quæ sit, & unde constet electorum iusticia, integritas & innocentia. Non est ipsorum propria, neq; ex ipsorum uiribus, sed hæc est illorum iusticia, quod per gratiam Dei mundantur, cohibentur, ac liberantur à peccatis. Tunc innocentes sunt & iusti, quando per gratiam Dei gratis accepta peccatorum remissione iustificantur. Rectè igitur postquam dixit, Ab occultis munda me, & à temerarijs cohibe seruum tuum: subiicit, Tunc integer ero, & mundabor à transgressione magna.

OBSER.

Vers. ult.

Complacent eloquia oris mei, &c.) Primum illud notemus, quod canticum & orationē suam in conspectu Dei probari cupit. Nemini gratificatur uel cantando, uel orando, præter uni Deo. In huius se conspectu & canere & orare credit, illiq; unicè commendari & placere gestit. Longè aliter animati sunt, qui Deum labijs honorant, & corde aliud spectant. Deinde, consideremus qualia sint illa eloquia oris Dauidici, ut Deo placere possint. Quod hunc psalmum attinet, primum uidemus illa duo complecti. Vnum est, quod gloriam Dei extollit, idq; duplici nomine: primum propter maiestatem operum illius, deinde propter singulare beneficium legis, Israelii præstitum. Alterum est, quod de corruptione ingenij sui conqueritur, & gratiā Dei implorat, qua à peccatis mūdetur & cohibeatur. Secundo loco & illud accedit, quod non sunt nuda & inania uerba in ore obiter nata, sed ex corde promanantia. Vnde & subiicit, Et meditatio cordis mei. Huiusmodi cum sint eloquia Dauidis, meritò separari potest, quod Deo probentur.

3 Tertiò, & meditando uerbum expendamus. Non simpliciter dicit, Et cogitatio cordis mei: sed, Meditatio, inquit, cordis mei. Aliud est simpliciter, obiter ac semel aliquid cogitare, id quod frequenter in corde humano accidit (quale genus cogitationum, mox euanescentium, Germanicè fliegende gedanken uocamus:) & aliud, meditari. Meditatio est, qua rem aliquam seriò, diu ac frequenter in corde uersam, ore proloquimur, & si fieri queat, opere quoq; adimplere gestimus. Hac meditatione commendanda sunt Deo, quæ illi probari uolumus: cui haudquaquam placere possunt illorum orationes, qui euanidis ac obiter natis cogitationibus ad orandum prosiliunt, quamuis sibi ipsi admodum seriò, & ut loquuntur, deuotè precari uideantur.

Postremò. Nec illud transeundum est, quod Psalmus claudens dicit: Domine rupes mea, & redemptor meus. Sic aperit, qua fiducia Deum glorificet, & opem illius imploret: nempe quod credat, imò sciat, esse illum rupem ac redemptorem suum. Sine hac fide laudare & orare Deum, nec laudare est, nec orare: sed uel irridere, uel tentare.

Considerandum etiam est, quid his uerbis de Deo suo prædicet. Vocat eum rupem, suam: hoc est, sustentatorem omniū firmissimum. deinde & redemptorem, id est, liberatorem & ereptorem. Qui extra periculū sunt, sustentantur, in aduersis & periculis constituti redimuntur & liberantur. Vtrumq; necessarium, & utrumq; in uno Deo querendū, qui solus & conseruare potest, & eripere.

PSALMVS XX

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

Argumentum psalmi.

Precationem habet hic psalmus, et certam fiduciā populi Dei. Primis quatuor uersibus ad Deum orant pro rege suo, iamiam ad conflictum contra hostes impios profecturo: reliquis propter spem accipiendi diuinitus auxilij certam fiduciam exprimunt. Videntur autem haud abludere à scopo, qui putant hunc psalmum de eo bello compositum, quod Dauid contra Ammonitas gessit. quo de uidere est 2. Sam. 10. & 1. Par. 19. Coniectura hinc sumi potest, quod in eo bello 40000. equitum, & 7000. curruum caesa leguntur. Vt appareat ad id uersu septimo respici, quo canit populus Dei ad hunc modum: Hi in curribus, & illi in equis: nos autem hominis Domini Dei nostri recordati sumus.

PRÆCATIO VERS. 1. 2. 3. 4.



Respondeat tibi Dñs in die tribulationis, exaltet te nomē Dei Iacob. Mittat auxilium tuum de sancto, & Zīon fulciat te. (ciat. Memor sit omniū libaminū tuorū, & holocaustū tuū pingue faciat. Tribuat tibi secundū cor tuū, & omne consiliū tuum adimpleat.

LECTIO

Verf. 1. Respondet. Ebr. יָשׁוּעַ. Græc. ἰσχυροῦ. Vulg. Lat. Exaudiat te. Sic & Hier. & Pagninus & Tigurina. Felix & Iustinianus legunt, Respondet tibi. Felinus, Annuat tibi. Exaltat te. Ebr. יִשְׁבֹּרְךָ. Græc. ἀνυψώσῃ σε. Vulg. Lat. protegat te. Sic & Hiero. & Felix. Arabs, adiuuet te. Pagninus, eleuet te. Iustinianus, fortem te faciat. Tigurina, in tuto collocet te. Sic uertit & Felinus, quem multis in locis Tigurina sequitur.

Verf. 2. Fulciat te. Ebr. יִסְעָךָ. Græc. ἀντιβήσῃ σε, id est, adiuuet te. Vulg. Lat. tueatur te. Hieron. roboret te. sic & Iustinianus. Pagninus. Felix, & reliqui reddunt, fulciat te.

Verf. 3. Omnium libaminum tuorum. Ebr. כָּל מִנְחֹתַי. Græc. Vulg. Lat. & Hieron. & Iustinian. omnis sacrificij tui. Felix, omnium munerum tuorum. Sic legit & Tigurina.

Pingue faciat. Ebr. יִשְׂבֹּרְךָ. Græc. πλουτήσῃ. Vulg. Lat. pinguefiat. Sic & Hier. Tigurina, pingue faciat. Pagninus, incineret. Felix, in cinerem conuertat. Iustinian. cinis fiat. Felinus, approbet. Arabs, accipiat.

(Adimpleat.)